



TOMUS XXXIV.  
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. 1515CCCXIII.

6 bände:

I  
DE  
COENA DOMINI  
REPETITIO DOCTRINAE  
ORTHODOXÆ.

DE QVA, DEO VOLENTE,  
IN CELEBERRIMA HEIDELBERGENSI  
Academia.

Publicè disputabitur.

*Ad XII. Nouemb. hora & loco consuetis.*

PRÆSIDE  
PETRO CALAMINO D.  
& Professore ordinario.

*Respondente*

DANIELE MARCELLIDE  
*Lublouensi Scepufio.*



HEIDELBERGÆ.  
Typis CHRISTOPHORI LEONIS.

MDCCXCVII.

36

JOHANN D. O. M. M. I.

RECTORIUS DOCT. IN A. B.

DE QUINQUE V. S. S. S. S.

Inauguration

IN A. B. O. C. A. M. A. N. O.





3  
II  
G E N E R O S O    D O M I N O  
S T E P H A N O   T E O K E O L I O   V N G A R O  
G E N E R O S I   E T   M A G N I F I C I   V I R I

Dn. SEBASTIANI TEOKEOLII:  
liberi Baronis in Kaifmarck,  
Filio.

S. P. D.



**Q**UIDEM ultrò fateor, generose Baro, theses istas modum the-  
sum excedere: siue in diuersis plures in eandem thesin concur-  
rentes spectes, siue obiectionum ouerſiones ipsi publice reser-  
uandarum praecipitationes attendas. Sed me facile omnes aequi  
& candidè iudicantes lectores eo nomine satis superque excusa-  
tum habebunt; Si considerauerint: quod hanc scribendi rationem tenuerim,  
non tam mea spontè quàm rogatus à plurib. bonis viris: qui cum alias iam an-  
te sexennium VVittenberga pro illius Scholæ consuetudine à me scriptas theses  
de Sacramentis in genere legissent; ex eo tempore saepius & coràm & per lite-  
ras à me postularunt: ut eadem methodo eodemque scriptionis genere, etiam de  
duobus noui Testamenti sacramentis in specie doctrinam orthodoxam comple-  
terer. Quorum autoritate minimè contemnenda motus cum postea quoque  
de baptismo, sic scriptas theses ediderim: successu earum nequaquam pœniten-  
do audacior factus; Et nouis insuper hortationib. exstimulatus, tandem eodem  
modo de Cœna Domini, etiam aliquid conatus sum. Cum autem hac mate-  
ria hoc praesertim nostro seculo, latissimè pateat: ut quoad eius fieri posset, bre-  
uitati consulerem, praecipua tantum & ad usum salutarem Cœnae maxime ne-  
cessaria, selegi: reliquis aut planè praetermissis, aut breuissimè tantum notatis.  
Atq; de illis ipsis quorum mentionē facere decreueram, veritatem potius doce-  
re & praecipua eius fundamenta digito quasi monstrare volui magis: quàm men-  
dacia opposita omnia sollicitè recensere & refutare: quod scirem: Rectum & sui  
ipsius & curui regulam esse. (Ceterum eodem tempore, quo ego theses hasce scri-  
psi: (erant verò tunc adeo seriae autumnales) Tu quoque Generose Domine in  
nostra Academia publice perorasti. Quo quidem exercitio, iudicium illud  
praclarissimum, quod iam antè vniuersa schola nostra, ex tota viuendi ratione  
tua conceperat, ita confirmasti itaq; auxisti, ut omnes summa quaeque de te ex-  
pectent: & letis omnib. ac faustis acclamationibus te prosequantur. Quare  
ego quoque iudicavi, meum studium & meum amorem erga te, aliqua ratione  
sestatum

†  
testatum reddere: atque in fronte harum thesum publicè reperere ea: qua cum  
sape aliàs quando in te incido, tibi optare soleo: tum eo tempore, quo te declaman-  
tem audiui, apud me precatus sum: Maclè animo, perge rerum bonarum co-  
gnitioni, linguarum studia addere: perge cum principalibus disciplinis instru-  
mentales coniungere: perge politice Philosophicâ theologia sacra temperare &  
gubernare: perge denique bonas literas, moribus laudabilibus; & honestatem  
pietate vera augere; firmare; & ornare: quibus suo tempore etiam equestria  
& militaria exercitia accedant. DEVS autem aternus pater Domini nostri  
Jesu Christi, conatibus illis tuis semper favere pergat: teq; omni bonorum gene-  
re in dies magis magisq; locupletet: ut te Filio Pater tuus, te gentili gens tua; te  
patrono ac cine primario, Ecclesia & respublica communis letetur, exultet, ac  
glorietur: & in primis DEVS author & conseruator omnis boni, à te, & per te  
ab alijs multis honoretur & glorificetur, in hac vita & in omni aternitate Am.  
Heidelbergæ Calend. Nonemb. Anno recuperata salutis 1597.

T. Gen.

Studiosiss.

PETRVS CALAMINVS D.





T H E S I S I.

**D**E Cœna Domini iudicari debet, primò ex ipsius institutionis verbis, & quidem ex toto eorum contextu, quemadmodum à tribus Euangelistis, & ab Apostolo Paulo referuntur. Secundò ex similibus Scripturæ locis: qualia sunt Iohannis 6. I. ad Cor. 10. & alibi. Tertio ex toto fundamento sacro, seu ex analogia vniuersæ doctrinæ sacræ: quæ symbolo & decalogo summatim continetur. Quarto ex doctrina de ministerio Ecclesiastico. Quintò ex natura subiecti: h. e. ex doctrina generali de sacramentis omnibus, communiter in scripturis tradita. Sextò ex doctrina de sacramentis veteribus: quatenus ea in communi ratione sacramenti, cum nouis conueniunt. Septimò ex doctrina de baptismo: quatenus scilicet baptismus cum Cœna Domini, in communi ratione sacramentorum nouorum congruit, & à veteribus discernitur. Cum quibus *κελήναις* consentientia testimonia piæ antiquitatis, Augustanæ confessionis, & ipsorum aduersariorum suffragia contemni nullo modo debent. Sed nos in hac breuitate quam consecramur: promiscue nunc ex hoc, nunc ex illo *κελήναις* argumenta desumemus: prout quidque notissima & vsitatissima nobis suggerere videbitur argumenta.

*κελήναις*  
doctrinæ  
de Cœna.

II.

Vtile etiam est easdem aut similes quæstiones, eodem ordine, de Cœna inquirere: quæ & quales quæstiones & quo ordine prius de sacramentis in genere, & in specie de baptismo explicatæ fuerunt.

Ordo doctrinæ de Cœna.

III.

Vt igitur à nominibus & appellationibus initium capiamus: dicitur hoc sacramentum, *Cœna* à circumstantia temporis, quo primò à Christo institutum est. *Mensa Domini*: quia Dominus nos hîc pascit ut cibus & conuiuator. *Fractio panis* Actor. 2. quia hæc in Cœna fieri debet: cū à parte hac ritus, tota ceremonia denominetur: Et significationem sacramentalem habeat 1 Cor. 11. v. 24. & 1 Cor. 10. v. 17. *Sacramentum corporis & sanguinis*: quia hæc dona nobis pane & vino sacramentaliter significantur, & in legitimo vsu per fidem & spiritum sanctum magis magisque communicantur. *Eucharistia*: quia eius vsu ad gratiarum actionem erga Deum & Christum obligamur & excitamur, in hac ipsa Cœna & aliàs præstandam. *Συμῶσις* quia in con-

Nomina varia huius Sacramenti.



gressibus Ecclesiæ celebrari debet. *Sacrificium*: quia propitiatorij sacrificij Christi semel in cruce peracti, representatio, & solennis pro eo gratiarum actio, seu eucharisticum sacrificium est, vt de oblationibus ad Cœnæ administrationem, & ad ministrorum ac pauperum conseruationem in primitiua ecclesia fieri solitis taceam. *Δειψυρία* ratione administrationis: quia est publici muneris functio, vel boni communis curatio: quo respectu etiam *ειψυρία* seu *sacra actio* καὶ *ἔξω-χλῶ* vocatur. *Ἀγάπη* autem seu dilectio appellatur: quia sancitur inter accedentes mutua dilectio: & quia initio ex Christiana dilectione, à ditioribus, conuiuia instruebantur, quibus pauperes reficiebantur. *Communio*: quia Christi & beneficiorum eius communio hîc significatur & peragitur. *Testamentum* denique *nouum* dicitur, eo modo quo circumcisio testamentum vetus vocata est. quia nempe vtrumque sacramentum est symbolum vnici illius & æterni fœderis inter Deum & credentes: quod fœdus etiam testamentum nominatur: siquidem non nisi morte testatoris, nempe mediatoris nostri, ratum fit: ideoque ante exhibitionem Christi, vetus; post eam, nouum fœdus seu nouum testamentum dicitur.

## IV.

**Homonymia Cœnæ dominicæ.** Sicut autem Sacramenti nomen in genere, & baptismi in specie, ita etiam Cœnæ & Eucharistiæ appellatio duobus modis accipitur. Primò, propriissimè pro signo sacramentali h. e. pro externa & corporali distributione & acceptione panis & vini sacri: quatenus internam & spiritualem corporis & sanguinis Christi communionem sacramentaliter significat. Secundò, pro signo & signato simul seu pro tota sacra actione, quæ tum externa & significante sacrorum symbolorum, tum interna & significata ipsarum rerum seu ipsius corporis & sanguinis communionem constat.

## V.

**Cœnæ pro signo acceptionis, causæ internæ.** Cœnæ seu eucharistiæ cum pro signo sacramentali vsurpatur, causæ hæ sunt, Materia seu fundamentum est corporalis panis & vinum naturale: & corporalis vtriusque distributio atque acceptio. Nam materiale huius sicut & cæterorum sacramentorum est ceremonia externa, quemadmodum à Christo instituta est: vna cum obiecto suo, seu cum elemento externo. Terminus vero est corpus & sanguis Christi, atque ad eò totus Christus cum omnibus beneficiis suis, & horum omnium spiritualis & saluifica communicatio & perceptio. Hæc enim externis illis in materiali comprehensis rebus, ex aduerso respondent. Forma autem seu formale & ordo fundamenti ad terminum est, horum vinculum seu vnio, quæ est sacramentalis signi fi-



IV

significatio internorum per externa: Videlicet significatio corporis per panem & sanguis per vinū: *κοινωνίας* deniq; corporis & sanguinis spiritualiter peractæ & magis magisque peragendæ per panis & vini corporalem seu corporaliter factam *κοινωνίαν*. Hæc enim significatio ad absoluta duo nempe ad fundamentum & ad terminum accedens facit ex ijs relata: vt panis & vinum atque eorum manducatio fiat sacramentum vel signum sacramentale: Corpus autem & sanguis Christi, atque eorum communio, res sacramentaliter significata sint & dicantur.

VI.

Habet autem hæc sacramentalis significatio quæ formalis locum occupat in cœna, sicut in alijs sacramentis, tres siue gradus siue partes. I. Est representatio internorum per externa. Nam panis & vinū analogia seu similitudine quadam repræsentant corpus & sanguinem Christi. Communicatio autem panis & vini repræsentant communionem corporis & sanguinis Christi. 2. Est obsignatio internorum & spiritualium per externa & corporalia. Nam panis nobis peculiariter fractus & vinum nobis fufum & communicatum, nos certos reddit: quòd corpus Christi pro nobis quoque, mortuum & sanguis pro nobis etiam fufus sit: & quòd corpus & sanguis Christi, non minùs nobis quàm alijs fidelibus in cibum & potum spiritua- lem, ad vitæ æternæ alimoniam communicentur. 3. Est internorum per externa, ad singulos fideles, vberior & efficacior applicatio. Nam symbola sacramentalia visibilis quasi promissio sunt gratiæ: quæ non tantum Euangelij illam promissionem omnibus credentibus vniuersaliter in concione oblatam, ad singulos vtentes in sacramenti vsu restringunt; sed etiam ipsius corporis & sanguinis Christi ac beneficiorum eiusdem communionem, efficacia spiritus sancti, pro modo crescentis fidei, vberius & largius operantur.

Forme vel significationis sacramentalis, in Cœna, partes aut gradus

VII.

Sustinet vero ritus externus Cœnæ, hanc significandi & testificandi vim & facultatem, non tam ex qualicunque illa similitudine cibi & potus corporalis cum cibo & potu spirituali: quàm ex veracis & omnipotentis Dei ordinatione & institutione.

Eiusdem significationis fundamentum & efficiens.

VIII.

Efficens enim seu author Cœnæ Dominicæ est Deus per Christum: qui etiam hodie per manus ministrorum nobis symbola sacra panem & vinum porrigit; & per externum hoc ministerium ipse spiritu sancto suo in cordibus nostris efficax est, fidem ipse in electis operans, atque ita per fidem etiam res ipsas signatas corpus nempe &

Cœnæ author.



sanguinem Christi, atque adeò totum Christum, cum omnibus beneficijs suis, in Cœna hac magis magisque fidelibus conferens.

## IX.

**Institutio-  
nis partes.** Institutio autem illa, quemadmodum ab Euangelistis & à Paulo recitatur, duo præcipuè continet. Prius est mandatum de ritu Cœnæ. Posterius est ritui annexa gratiæ promissio.

## X.

**Consecra-  
tio & con-  
fectio cœ-  
næ.** Consecratio igitur vera panis & vini in Cœna, atque adeò ipsius Cœnæ confectio non est verborum certorum supra hæc elementa pronuntiatio vel cantillatio, crucibus & gestibus certis adhibitis facta, quemadmodum non nulli autumant: sed vera panis & vini sanctificatio vel consecratio est illorum elementorum, ab usu & officio eorum communi & vulgari, ad usum & officium sacramentale translatio & adhibitio: quæ fit tum à Deo per Christum, hoc sacramentum instituyente; tum ab hominibus, elementis his secundum institutionem Dei administrantibus & usurpantibus.

## XI.

**Mutatio  
sacramen-  
talis ele-  
mento-  
rum in  
cœna.**

Cum hac consecratione & sanctificatione panis & vini, vel eadem est, vel proxime cohæret panis & vini in corpus & sanguinem Christi mutatio, ut veteres eam vocant; quæ quidem non est substantialis sed relatiua h. e. non fit secundum substantiam panis & vini, sed secundum usum & officium eorum. Nam panis & vino, ratione substantiæ suæ idem quod prius erant permanentibus, nouum tantum officium ex consecratione illa accedit: quod officium est sacramentalis significatio cælestium & spiritualium bonorum; ac propterea noua etiam nomina accipiunt elementa illa: Sicut senator aliquis, dum consul creatur idem permanens, relationem seu officium solummodo nouum accipit; ideoque etiam nouo nomine vocatur, & Consul dicitur.

## XII.

**Minister  
cœnæ do-  
minicæ.**

Causa ministerialis vel minister Cœnæ legitimus non est alius nisi minister ecclesiæ. Quod cum circa hoc sacramentum controuersia careat: mirum est baptismi administrationem etiam priuatis hominibus atque adeò mulierculis permitti.

## XIII.

Etsi optandum est, non nisi a pijs & religiosis ministris sacramenta administrari: tamen dignitas vel indignitas ministri nihil ad Cœnam facit: modò institutio diuina ab administrante & à sumente eam obseruetur.

## XIV.

9  
XIV.

Ad Cœnæ usum admitti debent baptizati adulti, qui fidem & pœnitentiam promittunt & mortem Domini annunciare possunt. Accedere autem debent soli illi, qui ita sunt affecti, ut in fide & pœnitentia proficiendi propositum habeant.

Admittēdi & accedentes ad Cœnam.

XV.

Finis enim Cœnæ primus & principalis est *fidei nostra* de morte corporis & fusione sanguinis Christi in nostrum bonum facta, & de corporis & sanguinis Christi, imò de totius Christi & de beneficiorum ipsius spirituali & saluifica *κοινωνία confirmatio*: secundum illud: *Hoc facite ad mei commemorationem*. Quæ verba Apostolus explicat his verbis: *Quoties de pane hoc manducaueritis & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate*. Commemoratio autem & annunciatio illa mortis Dominicæ non historiæ tantum commemoratio aut recordatio est, sed etiam cum fide & gratitudine coniuncta celebratio esse debet.

Finis Cœnæ primus est fidei confirmatio.

XVI.

Diligenter vero ad vitandas superstitiones notanda est vera ratio huius confirmationis. Neque enim ipsum corpus & ipse sanguis Christi, sed panis & vinum sacra illa symbola sunt, per quæ in Cœna fides nostra confirmatur. Nam Christus vniuersam Ecclesiam ad finem vsque mundi id ad sui memoriam seu ad fidei confirmationem facere iubet: quod ipse in prima Cœna fecit, & quod eius discipuli iussu ipsius Domini fecerunt. Non autem corpus suum unquam fregit, neque in prima cœna sanguinem suum effudit: multò minus hæc distribuit corporaliter & oraliter comedenda & bibenda sed ut Euangelistæ cum Paulo testantur, panem accepit, fregit, & dedit; & poculum cum genimine vitis accepit & dedit; & hæc nomine corporis & sanguinis sui honorata, iussit in sui commemorationem accipere comedere & bibere, in cœtu fidelium. Deinde Paulus verba Christi (*Hoc facite*) non de corporis & sanguinis acceptione, sed de panis & vini sacri distributione & sumptione interpretatur, cum ait: *Quoties de pane hoc comederitis, & de poculo hoc biberitis mortem Domini annunciate*. Nec pia vetustas neque Augustana ipsa confessio verba (*hoc facite*) aliter quàm de externarum & visibilium rerum sensibili distributione & acceptione intelligunt, dum alimento sicco & humido, hoc est, pani ac vino & ritui in oculos incurrenti, officium instrumentaliter excitandæ & confirmandæ fidei attribuunt. Nec confirmatio fidei sacramentalis per alias quàm visibiles & sensibiles res fieri potest: nisi incredulitati nostræ incertum

Quænam res in Cœna organū sit confirmandæ fidei.

per æquè aut etiam magis incertum confirmari dicatur. Quid quod Christi verba; quatenus corporalem sumptionem & manducationem ad fidei confirmationem præcipiunt; non possint sine manifesta corruptela aliter quàm de sacro pane & vino intelligi. Nam Christus id quod facere iubet: ad sui ipsius, non beneficiorum tantùm suorum memoriam facere iubet. Ergo satis perspicuè docet; corpus & sanguinem suum, ad rem ipsam commemoratam seu ad rem signatam, in cœna pertinere: siquidem corpus & sanguis Christi, aliquid ipsius Christi sunt. Ad Christi autem ipsius memoriam Cœna sumi debet. Quomodo igitur idem illud corpus, & idem ille sanguis Christi, etiam commemoratio seu signa sacra in Cœna esse poterunt? an non hac ratione sui ipsorum memorialia vel signa essent? an non idè signum & signatum eodem respectu constitueretur? Quod cum absurdissimum & impium sit: corpus & sanguis Christi, nequaquam à signato ad signum transferenda sunt; eoque non corpus & sanguis Christi; sed panis & vinum oraliter & corporaliter māducata ex verbis Christi, signorum sacramentalium officium sustineant, & fidem tanquam sacramenta confirment oportet. Ipsum autem corpus & ipsum sanguinem Christi, non oraliter ad fidei sacramentalem confirmationem, sed spiritualiter seu fide & operatione Spiritus sancti, ad vitæ æternæ effectiōnem manducari & bibi necesse est. Id quod Christus alibi etiam diserte affirmat, cum ait, *qui carnem meam comedit, & sanguinem meum bibit, in æternum vivet.*

## XVII.

Quomodo panis & vinum in Cœna fidei confirmant.

Cæterum ad hanc fidei per sacra symbola confirmationem plura concurrunt. 1. Est diuina huius ritus institutio: à qua ceremonia vim confirmandi maximè habet vt suprâ Thesi 7. iam monuimus. 2. Fidei confirmatio existit ex fine interno seu forma huius sacramenti: quæ est significatio illa tripartita, Analogia enim externorum cum internis (quæ significationis sacramentalis prima pars est) in nobis notitiam illustriorem spiritualium bonorum efficit. Obfignatio interiorum per externa, firmiorem de spiritualibus bonis certitudinem operatur. Applicatio autem externa symbolorum ad singulos vtentes, etiam rerum signatarum fidei applicationi & fiducia seruit: atque ita singulæ partes sacramentalis significationis, singulis gradibus fidei augendis & roborandis conducunt. 3. Confirmatio fidei existit ex vñ legitimo symbolorum sacrorum: per quem mandato Christi, hoc facite, obtemperatur & sacramentum secundum institutionem Christi vsurpatur. 4. Existit confirmatio fidei per ratiocinationem nostram: quæ ex consideratione instituti-

onis

onis diuinæ & significationis sacramentalis intuitu, præsupposito legitimo vsu nostro, sic colligit. Verax & omnipotens Deus, nõ verbo tantum audibili promittit, sed etiam signo visibili testificatur, se promissioni diuinæ credentibus, & mandatis ipsius obtemperantibus, tam certò manu sua, corpus & sanguinem Christi atque adedò totum Christum cum omnibus thesauris suis, spiritualiter ad salutem conferre: quàm certò panem & vinum sacrum corporaliter ex manu ministri in vsu Cœnæ accipiunt. Ego promissioni diuinæ credo; & quantum per ipsius Dei gratiam in hac infirmitate à me fieri potest, præceptis ipsius obediui & obedio. Ergo nõ minus ipsius corporis & sanguinis Christi cum omnibus donis cœlestibus particeps factus sum, & magis magisque particeps fio: quàm sacramentorum visibilibus me participem factum esse & fieri scio & sentio. 5. Denique confirmatio fidei existit ex concurrente Spiritus sancti operatione: quando per hanc ratiocinationem nostram & per considerationem institutionis atque vsus legitimi, spiritus sanctus in nobis efficaciter operatur & corda nostra non audibili tantum verbo, sed visibili etiam signo, mouet ac flectit ad credendum Deo suam voluntatem nobis testificanti.

## XVIII.

Ex dictis etiam alius Cœnæ institutæ finis colligitur: qui est ipsa corporis & sanguinis Christi, atque adedò totius Christi & beneficiorum eius *κοινωνία*: de quo sine loquitur Paulus 1. Corint. 10. vers. 16. ubi panem & poculum seu vinum in poculo *κοινωνίας* corporis & sanguinis Christi nominat: quia scilicet externæ istæ res, sunt media *κοινωνίας*, seu vt aduersarij ipsi interpretantur; sunt id per quod fimus *κοινωνοι* corporis & sanguinis Christi. Sed hoc rectè iam intelligendū est: quomodo & cuiusmodi *κοινωνίας* media sint panis & vinum in sacra Cœna: ne idola cumulentur. Non igitur tanquam latibula aut vehicula corporis & sanguinis Christi hoc faciunt quasi in illis & sub illis inuisibiliter lateant & ex manu ministri in os communicantium vehantur, & corporaliter accipiuntur, & comedantur ac bibantur corpus & sanguis Christi: sed panis & vinum sacrum, media *κοινωνίας* Christi sunt & dicuntur, tanquam sacramenta: quæ fidei confirmandæ seruiunt: & quæ mediante fide, ac pro modo crescentis fidei, credentes magis ac magis corporis & sanguinis Christi *κοινωνοὺς* efficiunt. Id quod his immotis fundamentis demonstramus, 1. Quia verba Pauli: *panis est κοινωνία corporis*: extra controuersiam æquivalent verbis Christi. *Hoc est corpus meum*. Atqui demonstratum est paulò ante, quòd Christus nos panem iubeat manducare ad sui commemor-

Finis secundus Cœnæ est ipsa communicatio corporis & sanguinis Christi.

Communicatio corporis & sanguinis Christi quæ in Cœna contingit per fidem & S. spiritum contingit.

rationem; ac proinde quòd corporalis manducatio panis sit memoriale seu sacramentum manducationis significatæ & saluificæ ipsius Christi. Ergo etiam Paulus vult panem esse medium *κοινωνίας* Christi, non aliter nisi quia est eius sacramentum. Sunt autem Sacramenta non latibula aut vehicula bonorum spiritualium: sed organa Spiritus sancti; per quæ fidem nostram confirmat, & fide confirmata, nos spiritualiter Christi & beneficiorum eius *κοινωνοὺς* reddit. 2. Id etiam ex scopo Apostoli constat. Nam his verbis Apostolus allegat ritum cœnæ tanquam testimonium & argumentum communionis Christi: vt ostendat pari ratione vescentes idolothytis seu sacrificiis idololatricis communicantes, ipsorum idolorum atque adeò dæmonum *κοινωνοὺς* effici. Ergo Paulus per *κοινωνίαν* corporis & sanguinis eam Christi communionem intelligit quæ est res signata Cœnæ. Quæ autem alia *κοινωνία* significari sacramentaliter in cœna potest, quam quæ in verbo Euangelij Iohan. 6. & alibi cõtinetur? Non enim sacramenta novos articulos fidei credendos proponunt: sed articulos prius in verbo traditos confirmant: sicut sigillum literis appensum nihil obsignat & confirmat, nisi quod in literis vel diplomate illo continetur. Cùm autem *κοινωνία* in verbo promissa, non sit alia nisi spiritualis & saluifica: etiam illa *κοινωνία* de qua Paulus loquitur non nisi spiritualis & saluifica est. 3. Atq; ideo Apostolus dicit: *Panis quem frangimus*: nempe nos fideles quibus ipse se annumerat: vt testetur, omnibus & solis fidelibus panem istum corporis Christi *κοινωνίαν* esse. De infidelibus autem hypocritis cap. II. pronũciat quòd ipsorum Cœna non sit dominica Cœna, seu quod ipsis non sit *κοινωνία* corporis & sanguinis Christi. 4. Ex voce *κοινωνίας* idem intelligitur: quæ communionem seu vnionem seu societatem inter aliqua exprimit. Atqui communio & vnio ac societas nostra cum Christo & proinde etiam cum ipsius corpore & sanguine, non alia describitur in tota scriptura: nisi talis quæ per fidem & spiritum Sanctum fiat vt Iohan. 6. & 15. 1. Corint. 6. & 12. 2. Cor. 6. 1. Ioh. 3. & c. Ergo communio vel communicatio corporis Christi, de qua Paulus agit, non est alia, nisi spiritualis & saluifica. 5. Ex descriptione *κοινωνίας* quàm ipse Paulus addit: dum huic communioni attribuit, tanquam proprium effectum: quòd per eam fiamus vnum corpus cum ipso Christo & inter nos vers. 16. Atqui in confesso est: eam *κοινωνίαν*, qua omnes efficimur corpus mysticum, fieri per fidem & Spiritum sanctum, Ioh. 6. & 1. Cor. 12. 6. Confert Cœnam & *κοινωνίαν* Christi, quæ in Cœna fit cum veteribus sacrificiis, & cum *κοινωνία* significatarum rerum: quæ per sacrificia contingebat, Certum est autem ibi externi & significantis

significantis sacrificii, omnes qui ex eo comedebant, corporaliter *κοινωνοὺς* factos fuisse: interni autem & significati sacrificii, hoc est, ipsius Christi exhibendi, solos credentes spiritualiter participes effectos fuisse. Eodem ergo modo, res etiam in Cœna habet, ut corporaliter panis & poculi communionem consequantur omnes qui Cœna utuntur, ipsius autem corporis & sanguinis *κοινωνίαν* obtineant, soli fideles; idque tantum spiritualiter seu fide & operatione Spiritus sancti. 7. Denique Apostolus *κοινωνίαν* corporis & sanguinis Christi, quæ in Cœna fit, cum communione dæmonum consistere negat. Necessariò igitur spiritualem & saluificam intelligit. Nam oralis & non saluifica Christi *κοινωνία* siqua esset, cum dæmonum *κοινωνία* consistere posset. Concludimus igitur irrefragabiliter: alterum Cœnæ principalem finem esse quidem ipsam etiã *κοινωνίαν* corporis & sanguinis CHRISTI: sed eam non nisi spiritualem & saluificam esse.

## XIX.

Finis tertius principalis Cœnæ, est obligatio nostri ad fidem ac gratitudinem erga Deum: ex mutua fœderis promissione. Huic iam succedunt fines minus principales: qui sunt. 1. Adhortatio & inuitatio ad mutuam dilectionem: cum veri communicantes, vnius corporis membra fiant. 2. Discretio ecclesiæ ab aliis cœtibus: cum suis tantum discipulis h. e. ecclesiæ ciuibus cœnam instituerit. 3. Ut sit neruus publicorum congressuum, cum in cœtu celebrari debeat. 4. Conseruatio & propagatio doctrinæ sacræ; in primis de morte; & *κοινωνία* Christi, quam & ritu repræsentat, & repeti atque inculcari in vlu postulat.

Finis cœnæ tertius est obligatio nostris ad fidem & poenitentiam.

Fines Cœnæ minus principales.

## XX.

Fines dicti huius sacramenti omnes tum principales tum minus principales & pro effectis Cœnæ allegari possunt: siquidem eadem res finis quidem est quatenus ab agente ante operationem intenditur: effectus verò, quatenus post operationem re ipsa iam obtinetur.

Effecta cœnæ.

## XXI.

Ne igitur de aliis effectis pluribus nunc agamus: de ipsa corporis & sanguinis Christi *κοινωνία*, præter ea quæ dicta sunt, & quæ superioribus illis tacitè continentur hæc teneri debent. 1. Hanc communionem nequaquam opere, ut loquuntur, operato huius sacramenti fieri. Sic enim omnibus cœnam sumentibus contingeret. Quod Apostolicæ doctrinæ. i. Cor. 10. & 11. cap. ex diametro aduersatur. 2. Eam non tantum in Cœna, & per Cœnam: sed etiã extra Cœ-

Quomodo communicatio corporis & sanguinis Christi in cœna, contingat.

nam & sine cœnæ, dummodo non ex contemptu, sed casu aliquo necessitatis omittatur, contingere posse. 3. Cum per cœnam contingit, eam non vel symbolorum vel cœremoniæ aliqua propria aut indita vi: sed ex aliarum causarum concurrentium efficacia: in primis verò ex Spiritus sancti operatione contingere: idque hoc ordine. Primò, per institutionis diuinæ & sacramentalis significationis considerationem, perq; ipsius sacramenti vsum, & inde factam ratiocinationem, Spiritus sanctus eo quo dictum est modo, fidem in nobis confirmat. Secundò, per fidem & cum fide sic confirmata, ipse spiritus sanctus se plenius nobis insinuat. Tertiò, in nobis sic efficacius habitans & operans, nos etiam arctius ipsi Christo tanquam membra capiti & palmites viti vnit atque agglutinat. Denique arctius & propius Christo sumtos & agglutinatos, non tantum ipsius Christi, Dei & hominis, sed etiam beneficiorum eius efficacius & liberalius *κοινωνου*, efficit.

## X XII.

**Necessitas cœnæ an sit.** Ex his intelligitur: an & quatenus necessaria sit Cœna domini ad salutem. Nimirum cœna Domini sicut omnia alia externa media, cum legitimè haberi potest: omnino necessaria est. Primùm, propter decretum Dei liberrimum, quo ipsi placuit etiam hoc medio salutem nostram operari. Secundò, propter mandatum quomodo ad huius medij legitimum vsum nos adstrinxit. Tertiò, propter promissionem ritui Cœnæ additam: quæ in vfu ritus, fide apprehendenda est. Quartò, propter necessariam fidei & obedientiæ coherentiam. Neque enim promissioni credere potest: qui mandato non obtemperat, cum fides & inobediëntia sint *ἀνυπόστατα*. Quintò, propter fines & effectus Cœnæ, qui nobis necessarij sunt. Opus enim habemus confirmatione fidei de *κοινωνία* Christi; & stimulis obedientiæ. Etiam necessaria est fidei confessio: Ecclesiæ ab aliis cœtibus distinctio &c. Qui igitur hosce fines vult: is etiam cœnæ vsum; qui est medium ad fines istos; velle debet. Qui effecta ista cupit: etiam causam cupiat oportet.

## X XIII.

**Qualis sit necessitas Cœnæ.** Necessitas igitur ista non est simplex: sed ex hypothese. 1. Quia est ex Dei decreto: quod is liberrimè & iniit & exequitur. 2. Quia est necessitas medij ad finem, non ipsius finis. 3. Quia est necessitas talis medij: sine quo non contempto salus obtineri potest.

## X X I V.

**Definitio Cœnæ pro** Ex iis quæ huc vsq; de Cœna diximus: cœnæ pro signo acceptæ definitio constitui talis potest: quod cœna sit alterum noui Testamenti



menti sacramentum nempe sacramentum κοινωνίας corporis & sanguinis Christi: vel vt omnes partes exprimantur: Cœna pro signo sacramentali accepta, est externa & corporalis distributio & sumtio panis & vini in cœtu fidelium, secundum Christi institutionem facta: qua Deus fidelibus sacramentaliter significat, representat, obfignat, & suo modo applicat passionem Christi, & spiritualem ac saluificam communionem corporis & sanguinis Christi, atque ad eò totius Christi & omnium beneficiorum eius: vt hoc sacramentali ritu, non tantum veluti visibili atque infallibili signo ac pignore, fidem de spirituali ipsa & saluifica communiōe Christi in nobis confirmet: sed etiam tanquam medio quodam à se ordinato, eam κοινωνίαν Christi, magis magisque in nobis operetur: & vt nos vicissim vsu huius sacramenti, ad fidem ac gratitudinem erga Deum arctius obligemur, eamque publicè testemur, & profiteamur; ad dilectionem mutuam excitemur; ab omnibus infidelibus nos se iungamus; publicos cœtus foueamus; & doctrinæ sacræ conseruandæ ac propagandæ studeamus.

## X X V.

Definitio hæc quod ad materiam seu res ipsas attinet, ex prius probatis certa & firma est. Forma autem & constitutio eius sic probatur Probatio definitio- nis.  
 1. Ex requisitis cuiuslibet bonæ definitionis. Accidentis enim perfecta definitio, tria præcipuè habere debet, formam accidentis: materiam item seu subiectum eiusdem: ac causam propter quàm accidens illud inest materiæ seu subiecto. Forma igitur hîc est sacramentalis significatio κοινωνίας corporis & sanguinis Christi. Materia autem seu subiectum est panis & vinum eiusque distributio & sumtio: prout à Christo instituta est. His enim in hoc sacramento inest sacramentalis illa & Cœnæ propria significatio: seu per hæc elementa & per hûc ritum, κοινωνία corporis & sanguinis saluifica sacramentaliter significatur. Causa propter quam seu finis significationis illius est fidei confirmatio de κοινωνία Christi saluifica, eiusque ipsius κοινωνίας incrementum: cum cæteris minus principalibus finibus. 2. Probatur definitio ex generali definitione sacramenti quæ itidem tres partes habet: Vt formam, quæ significatio est fœderis: deinde materiam, seu subiectum, quod est elementum corporale & actio corporalis: seu ritus vel ceremonia, vnà cum obiecto suo. Denique causam seu fidei confirmationem, de societate gratuiti fœderis. Hæc tria in singulis speciebus sacramentorum restringuntur ad certas & cuilibet sacramento proprias res. In Cœna ergò fœdus seu gratia Dei coarctatur ad κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi: quæ ritu Cœnæ pro-

signo acceptæ.

VIII

prio significatur. Ritus autem seu ceremonia Cœnæ propria est, panis & vini distributio ac sumtio. His enim corporis & sanguinis Christi *κοινωνία* sacramentaliter significatur. Finis autem seu causa Cœnæ propria est: fidei de *κοινωνία* corporis & sanguinis Christi confirmatio: & ipsius incrementū: vt de aliis finibus nunc taceamus. 3. Probat̄ definitio Cœnæ ex collatione eius cum baptismi definitione. Quod enim in baptismo fuit aqua & ablutio externa per aquam: id in cœna est panis & vinum & eorum distributio ac sumtio. Item quod in baptismo fuit sanguis & spiritus Christi, & spiritualis per sanguinem ac spiritum Christi ablutio à peccatis: id in Cœna est corpus & sanguis Christi, eorumque spiritualis & saluifica *κοινωνία*. Item quod in baptismo fuit sacramentalis significatio abluitionis spiritualis per externam & corporalem: id in Cœna est sacramentalis significatio *κοινωνίας* spiritualis & saluificæ per externam & corporalem. Denique quod in baptismo fuit confirmatio fidei de spirituali abluitione: id in Cœna est confirmatio fidei de spirituali *κοινωνία* corporis & sanguinis Christi. Sicut ergo baptismus est diuinitus institutum aquæ lauacrum, spiritualem, quæ sanguine ac spiritu Christi fiat, abluitionem baptizatis sacramentaliter significans, ad fidei confirmationem &c. ita Cœna est diuinitus instituta panis & vini distributio & sumtio, spiritualem corporis ac sanguinis Christi *κοινωνίαν* sacramentaliter significans, ad fidei de spirituali illa *κοινωνία* confirmationem.

## X X V I.

Ætiologia  
Cœnæ pro  
signo & si-  
gnato si-  
mul acce-  
ptæ.

Cæterum quando Cœna pro tota actione seu pro signo, & signato simul sumtis vsurpatur alia est ipsius ratio. Omnes enim causæ tunc sunt duplices: nimirum externæ & internæ: seu significantes ac significatæ, Et materia externa seu obiectum externæ & corporalis actionis est panis & vinum. Materia autem interna, seu obiectum internæ & spiritualis actionis, est, corpus & sanguis Christi, &c. Forma externa est corporalis distributio & sumtio panis & vini. Forma autem interna est spiritualis manducatio corporis & sanguinis Christi, &c. Est enim actio sua ipsius forma. Administer externus est minister Ecclesiæ qui sacrū panem & vinum distribuit. Administer seu collator internorum bonorum, nempe ipsius corporis & sanguinis Christi, est ipse Deus & Christus. Organa externæ perceptionis sunt manus & os corporis. Organum verò internæ acceptionis & manducationis est os & manus hominis spiritualis, nempe fides vera & saluifica. Hoc enim solo organo homo regeneratus *κοινωνός* Christi & beneficiorum eius efficitur. Coniuncta igitur externus in Cœna est,  
omnis

omnis ad Cœnam accedens, conuiuia autem internus & verus est solus fidelis & regeneratus homo. Finis & effectus externæ ac corporalis manducationis est sacramentalis significatio & fidei confirmatio; & sic etiam ipsa spiritualis manducatio vel κοινωνία Christi. Vt de aliis finibus minus principalibus nunc taceam. Finis autem & effectus internæ & spiritualis manducationis est: vita ipsa & salus æterna. *Qui enim carnem Christi edit & sanguinem eius bibit: uiuet in æternum.* Iohan. 6.

## X X V I I.

Definitio igitur Cœnæ pro tota actione seu pro signo & signato simul sumptæ hæc fuerit. Cœna est actio sacra, ex corporali & spiri- Definitio Cœnæ pro signo & signato acceptæ.  
tuali actione composita, in qua omnes Sacramento hoc vtentes, sacra symbola, panem nempe ac vinum, ex manu Ministri accipiunt & ad fidei suæ confirmationem ac spiritualem ipsius Christi communionem se sumere profitentur. Soli autem & omnes verè credentes, reuera corpus ac sanguinem Christi atque adeò totum Christum cum omnibus beneficiis, ex ipsius Dei & Christi manu, fide & operatione Spiritus sancti, ad vitam æternam accipiunt: & Deo pro his beneficiis re ipsa grati existunt. Membra singula definitionis in præmissa ætiologia confirmata sunt.

## X X V I I I.

Porro siue Cœnæ vox pro signo Sacramentali tantum, siue pro signo & re signata simul sumptis accipiatur: cum signum utpote relatiuum, quamdiu tale est, seu quamdiu relatio durat, absque suo correlatiuo seu signato esse nequeat: manifestum est; Cœnam utriusque modo intellectam, aliqua ratione, in duas quasi partes distribui posse; & duo in Cœna spectari oportere: quorum alterum res terrena & significans; alterum res cœlestis & significata est. & dicitur.  
Partes Cœnæ in utraque uis significatione uocabuli.

## X X I X.

Ne autem ut multi faciunt, in Cœna res ipsas signatas pro signis, aut signa pro rebus signatis habeamus: aut propria & effecta rerum, signis; vel vice versa rebus, propria & effecta signorum tribuamus: hæc duæ partes Cœnæ dominicæ à se inuicem, non quidem diuellendæ aut separandæ, sed tamen distinguendæ & discernendæ sunt. Differunt igitur partes istæ. I. Essentiâ ipsâ. Aliam enim essentiam habet panis & vinum & utriusque distributio & acceptio: aliam item corpus & sanguis Christi, & utriusque communicatio: licet non panis tantum & vinum; sed etiam corpus & sanguis Christi, cibus & potus dicantur: & licet non panis tantum & vini; corporalis participatio; sed etiam corporis, & sanguinis ipsius, spiritualis κοινωνία.  
Distinctio partium Cœnæ.

Quare cor-  
pus & san-  
guis Chri-  
sti res Spi-  
rituales sit  
& dicatur.

sæpe in scriptura dicatur manducatio & bibitio Iohan. 6. 1. Cor. 10. & alibi. Quod diligenter obseruandum est contra eos, qui semper quotiescunque audiunt manducationis mentionem fieri in Cœna; solummodo oralem & corporalem, nunquam autem etiam spiritua-lem manducationem intelligere vel credere possunt. 2. Differunt proprietatib. Nam panis & vinum & eorum acceptio, sunt res terre-næ & corporales. Res verò signatæ, videlicet corpus & sanguis Chri-  
sti & eorū communicatio sunt res cœlestes & spirituales. Etsi enim corpus & sanguis Christi secundum substantiam suam perpetuò eti-  
am in cœlis sunt & manent res corporales; neque vnquam in spiri-  
tum aut Deitatem conuertuntur: etsi quoque *κοινωνοί* efficiamur nō  
spiritus tantū Christi seu Deitatis & beneficiorum spiritualium;  
sed etiam veri corporis & sanguinis Christi communionem adipi-  
scimur: tamen corpus & sanguis Christi & eorum *κοινωνία* seu mādu-  
catio dicitur res cœlestis & spiritualis: non tam propter corporis  
glorificationem quomodo Paulus omnia resuscitatorum corpora  
vocat spiritualia (nam ratio hæc in prima Cœna, in qua Christus nō-  
dum erat glorificatus locum non habuisset: & nunc quoque corpus  
& sanguinem Christi non vt gloriosa: sed vt pro nobis tradita & fusa  
manducamus & bibimus) sed corpus & sanguis Christi & eorum  
communicatio cœlestes & spirituales res dicuntur: primò propter  
modum perceptionis seu manducationis seu bibitionis: qui non nisi  
spiritualis ac Cœlestis est, hoc est spiritu & fide peragitur. 2. Pro-  
pter finem & vtilitatem: quæ non terrena & corporalis, sed Cœlestis  
& spiritualis: siquidem hic cibus & hic potus nēpè corpus & sanguis  
Christi non ad corporalis & terrenæ vitæ sustentationem, sed ad  
cœlestis ac spiritualis vitæ alimoniam accipiuntur, manducantur, &  
bibuntur. 3. Differunt etiam modo, quo communicantur. Nam si-  
gna externa seu res terrenæ & corporales, nempe panis & vinum:  
etiam terreno & corporali modo percipiuntur, eduntur & bibuntur.  
Sed res signatæ seu cœlestes & spirituales, nempe corpus & sanguis  
Christi: tantū spiritualiter, hoc est vera fide & operatione Spiritus  
S. manducantur. Quod. n. Christus Ioh. 6. v. 62. & 63. refutauit: id in  
Cœna non instituit. Sed Ioh. 6. improbauit & refutauit oralem cor-  
poris & sanguinis sui manducationē duplici argumento. Altero qui-  
dem ab Ascensione sua in Cœlū: altero ab in vtilitate eius manduca-  
tionis. Ergo manducationē ibi reiectam postea in Cœna nequaquā  
instituit. Item sicut beneficia Christi, tū meritum efficacie, sola fide  
accipiuntur: ita etiam substantia Christi seu corpus & sanguis Chri-  
sti, sola fide accipitur. Ratio euidens & certa inter multas hæc quoq;  
est:

est: quia vtraq; ista videlicet substantia & beneficia Christi, in verbis illis (*Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur: & hic calix est novum testamentum in meo sanguine*) promittuntur. Verba autem illa de pane & de Calice prolata; sunt nihil aliud quam promissio gratiæ: quæ visibili signo seu pani & vino & eorum sumtioni annectitur. Ipsa igitur hæc verba & res illis promissæ non nisi fide accipi possunt: siquidem promissio gratiæ omnium rectè institutorum confessione, vna cum rebus promissis, tantum fide accipitur: quod alioqui etiam infideles & damnati promissionis illius & bonorum in ea contentorum participes fierent. Ac frustra hæctenus protestantes disputassent: Sola fide hominem saluari: si promissæ gratia etiam ore corporis applicaretur.

4. Differunt ministris. Signum enim seu panis & vinum, ab Ecclesiæ ministro distribuuntur. Res a. signata seu corpus & sanguis Christi, vna cum beneficiis, à Deo & Christo ipso exhibetur & communicatur. 5. Differunt personis accipientibus. Signa. n. externa seu panem & vinum manducant omnes ad cœnam accedentes. Res autem spirituales ac cœlestes videlicet corpus & sanguinem Christi soli fideles percipiunt. Ratio huius rei post multa testimonia non est obscura. Quia nempe soli fideles spiritualiter viuunt. Ergo etiam soli fideles cibum & potum spirituales percipiunt. Infideles autem cum in peccatis suis mortui sint: cibum & potum spirituales comedere & bibere nequeunt; nisi etiam mortui dicantur edere & bibere. 6. Differunt fine & effectu. Signa enim terrena & corporalia panis scilicet ac vinum sacrum accipiuntur ad fidei confirmationem; & ad vberiorum ipsius corporis & sanguinis spirituales ac saluificam communionem. Ipsæ a. res signatæ corpus nempe & sanguis Christi, accipiuntur ad ipsam spirituales atque æternam vitam. 7. Differunt necessitate perceptionis. Sine corporis. n. & sanguinis perceptione vel *nomina* nemo saluari potest. At sine symbolorum externorum usu, si non ex contemptu omittatur, potest salutem homo consequi.

X X X.

Partiuntur aliqui Cœnam, in substantiam & efficaciam. Atq; substantiam cœnæ vocant duplicia obiecta: nimirum panem & vinum, quæ sunt obiecta externæ actionis; & corpus ac sanguinem Christi, quæ sunt obiecta internæ actionis. Et vtraq; hæc vtriusq; actionis obiecta, volunt ab omnibus cœnâ vsurpantibus accipi. Per efficaciam verò intelligunt vtilitatem & fructum sumtionis seu substantiæ duplicis sumtæ; quam ita distribuunt: vt corpori & sanguini oraliter sumtis, assignent, tum fidei confirmationem, tum vitæ æternæ effectum, in fidelibus; sed in infidelibus damnationem seu iudicium. Pani au-

Diuisio  
Cœnæ vul-  
gata, in  
substantiã  
& efficaciam  
refutatur.

C ij.

tem & vino sumtis, nihil nisi occultationem & vecturum corporis ac sanguinis Christi relinquunt. Hanc partitionem igitur eo sensu quo ab istis hominibus profertur: omnino taxandam esse iudicamus: his de causis. 1. Quia obiectum actionis alicuius valde improprie actionis eiusdem substantia esse dicitur. 2. Quia substantia Cœnæ vtraque, hoc est, non panis tantum & vinum, sed etiam corpus & sanguis Christi, ore corporis atque ideo ab omnibus etiam infidelibus qui Cœnâ vtuntur, manducari falso asseritur. 3. Quia præter ac contra scripturam, efficacia salutis, à corporis & sanguinis *no-  
via* separatur: quando hæc sine illa infidelibus attribuitur. Aut enim impii etiam salutis participes fiunt, cum corpore & sanguine Christi: aut his cum illis carent. 4. Quia absurdè & impiè corpori & sanguini Christi manducato, damnatio vel iudicium manducantis tribuitur: cum potius non manducatus Christus sed repudiatus damnet ac iudicet: manducatus autem saluet. 5. Quia symbola externa & eorum sumtio, vsu & efficaciâ suâ verâ immeritò spoliantur: dum fidei confirmatio, ab iis ad corporis & sanguinis Christi, nescio quam oralem & corporalem manducationem, transfertur. 6. Quia malè etiam pro fidei confirmatione, symbolis externis seu pani & vino, officium corpus & sanguinem Christi occultandi, & ex manu Ministri in os communicantium vehendi adscribitur: cum sacramenta spiritualium & Cœlestium bonorum non latibula aut vehicula sed visibilia signa imagines & pignora sint, quibus per efficaciam spiritus sancti fides confirmetur: atque ita mediante fide & Spiritu Christus cum beneficiis nobis communicetur. 7. Quia fidei confirmatio symbolis externis ac visibilibus adempta, non sine manifesta corruptela veri vsus & finis sacramentorum, orali & corporali manducationi corporis & sanguinis Christi assignatur: cum tamen talis manducatio Christi reuera nulla sit: & vt maximè aliqua esset, huius tamen officii capax non esset: cum organa fidei confirmandæ externa, visibilia ac sensibilia esse debeant: nisi incertum per æquè aut etiam magis incertum, incredulitati nostræ confirmari posse absurdissimè dicatur. 8. Quia denique eidem etiam orali & fictitiæ manducationi corporis Christi, viuificatio nostri spiritualis tribuitur: cum tamen hic effectus; in tota scriptura, soli spirituali manducationi Christi adscribatur.

Vnio sacra-  
mentalis  
signorum  
& rerum.

X X X I.

Vt igitur in partibus Cœnæ asserendis & distinguendis, cavenda est confusio pariter & distractio earum, ita in vnione partium illarū explicanda & conseruanda, etiam falsa & fictitia coniunctio & copulatio

latio corporis & sanguinis cum pane & vino declinari debet.

X X X I I.

Etsi enim Christus cum suis beneficiis, hominis præcipuè causa, in sacra Cœnæ actione præsens est: ut se homini uniat; vel potius, ut hominem sibi uniat; & per unionem illam homini sua bona communice: quia tamen eam unionem & communicationem sui, & beneficiorum suorum, ordinariè in homine sic efficit; ut per ministeriũ verbi & sacramentorum fidem in homine electo operetur, & per fidem se & sua bona homini electo communicet: ideo hoc quidem respectu libenter agnoscimus & fatemur: Christum substantia pariter & efficacia sua, etiam ministerio illi externo, & omnibus eius partibus, atque ita etiam pani & vino Cœnæ, atque eorum manducationi, propter hominem, & in gratiam hominis, suo quodam modo suæque ratione præsentem esse.

X X X I I I.

Modus autem ille ac ratio illa præsentia & unionis, qua in Cœna corpus & sanguis Christi pani & vino sacro præsens est ei; unitur, non sanè est eiusmodi, ut panis & vinum in corpus & sanguinẽ Christi mutetur vel transubstantietur; aut ut substantia panis & vini abolitæ, sub iisdem accidentibus, substantia corporis & sanguinis Christi succedat: quemadmodum Pontificii fingunt. Nam in unione vera utrumque uniorum, necessariò manet. Conuersio autem vel transubstantiatio Papistica alterius uniorum nempe panis & vini substantiam tolleret: cum tamen Apostolus etiam post unionem factam, & in ipsa unione, panem nominet. Deinde unio corporis & sanguinis Christi cum pane & vino cœnæ non est mixtio diuersarum illarum substantiarum: qualis mixtio est aquæ & mellis in hydromeli. Sic enim unio esset utriusque uniorum ablatio, & tertiæ cuiusdam substantia constitutio: quæ neque panis neque corpus Christi esset sed quemadmodum quidam nominat caro panis. *Ein Fleisch Brot*. Denique unio illa panis cum corpore non est inexistencia, aut coexistencia, aut quæcunque affixio corporis in pane, vel ad panem, vel in loco panis. 1. Quia scriptura, cum veram unionem exprimit, non dicit corpus in vel sub pane, vel in eodem loco ubi panis est, esse, vel subsistere: sed locutione sacramentali, ipsum panem corpus Domini vocat. Quis autem sensus sit eiusmodi sacramentalium locutionem: paulò post explicabitur. 2. Quia inexistencia vel coexistencia corporis in vel sub vel cum pane, & quæcunque realis affixio corporis ad panem vel ad locum panis non esset sacramentalis sed tantum Cœnalis unio: siquidem non omnibus sacramentis, sed soli Cœnæ competeret.

C iij.

Quod ali-  
qua sit &  
conceda-  
tur.

Qualis sit  
unio sacra-  
mental-  
is in Cœna  
quoque.

3. Quia veritas corporis & sanguinis Christi, & veritas articulorum fidei multorum, talem unionem non ferunt. 4. Quia data unione tali, quæ per inexistenciam vel coexistenciam corporis in vel ad panem fiat, necessariò etiam Pontificias abominationes plerasque dari oportet: vt; Concomitantiam sanguinis cum pane & corpore (cui figmento mutilatio cœnæ innititur;) Adoratione Christi in, cum, sub pane Cœnæ Papisticam & idololatricam: Oblationem deniq; Christi in pane seu sub specie panis. Si enim corpus Christi verè in, cum, sub pane vel ad locum panis præsens est: vtique sumto corpore cum pane etiam sanguis Christi, simul sumitur: nisi corpus exangue fingatur. Item: si Christus in, cum, sub pane verè præsens est, conuersis animis & corporibus ad panem vel ad locum panis, Christum ibi præsentem adorare cogemur. Item propter filium Dei in, cum, sub pane præsentem, à cœlesti patre petenda gratia fuerit, quæ quidem oratio quid quæso, à sacrificii oratione in Missa differt? Cum igitur unio vera corporis & sanguinis cum pane & vino cœnæ; nihil horum figmentorum sit: qualis igitur unio rerum cœlestium & terrestrium, spiritualium & corporalium est? certè non est alia nisi mystica & tripartita illa relatio externorum ad interna. Nam corpus & sanguis Christi pani & vino; item communicatio corporis & sanguinis Christi, manducationi panis & vini, vnita sunt & dicuntur eatenus, quatenus corpus & sanguis Christi per panem & vinum; & corporis & sanguinis *κοινωνία* per panis & vini manducationem, mystica relatione repræsentantur obsignantur & suo modo applicantur.

## X X X I I I I.

De præpositionibus in cum, sub, & similibus particulis.

Quando igitur Orthodoxi veteres de præsentia & unione panis & corporis; vini item, corporis ac sanguinis Christi, præpositiones in, cum, sub, & verbum latendi, continendi ac similia usurpant: certum est, illis formulis panem & vinum Cœnæ, non corporis & sanguinis Christi latibula, aut vehicula, aut *κοινωνίας* corporis & sanguinis quæ oraliter fiat, quodcunque medium à veteribus constitui: sed externum & corporale elementum, interni & spiritualis doni, signum sacramentale, & communionis spiritualis organum esse doceri. Quali ferè orationis forma in, cum, sub, verbis symboli Apostolici, magna mysteria fidei latere, contineri, & communicari dicuntur: vel; quomodo, in, cum, sub literis cæsualibus vel Testamenti tabulis, redditus annuos tradi & donari hæredibus à testatore vulgò dicimus: quanquam simile non per omnia quadrat,

X X X V.



## X X X V.

Quare cum sacramentalis unio corporis cum pane, sicut etiam manducationis corporis cum manducatione panis, coherencia & coniunctio non nisi relatiua sit: nec verò negari possit: diuina institutione eam niti: etiam extra controuersiam erit: unionem hanc rerum signatarum cum signis, in sacra domini cœna, sicut in aliis omnibus sacramentis, pactionalem esse: hoc est eam non durare, nisi eatenus, quatenus institutio diuina obseruatur & sacramentum legitime vsurpatur.

Unio rerū  
cum signis  
est pactionalis.

## X X X V I.

Porro institutio diuinæ cœnæ duo complectitur quemadmodum etiam supra attigimus. Prius est mandatum Dei: ut idem quod Christus & Apostoli fecerunt, Ecclesia Dei in posterum faciat ad Christi commemorationem. Posterius autem est; gratiæ promissio, ceremoniæ illi addita, quæ est corporis ac sanguinis Christi, atque adeò totius Christi & beneficiorum eius communicandorum promissio. Vnde manifestum fit: ut diuina institutio obseruetur, atque ita cœnæ sacramentum legitime vsurpetur: non tantum mandato Dei obtemperari, sed etiam annexæ promissioni gratiæ firma fiduciâ credi oportere. Quorum vtrumque tum præstatur, cum omnibus partibus diuini mandati obeditur.

Institutio-  
nis diuinæ  
obserua-  
tio quid  
requirat.

## X X X V I I.

Legitimi ergo vsus cœnæ conditiones tres sunt. 1. Ut panis & vinum, à ministro Ecclesiæ, in cœtu fidelium, cum commemoratione mortis dominicæ, membris Ecclesiæ baptizatis & se probare valentibus, distribuatur. 2. Ut fideles & pœnitentes, ea symbola accipiant; non autem hypocritæ vel impij. 3. Ut ea acceptione in primis fidem & gratitudinem erga Deum in se exuscitent, & perpetuò ac constanter foueant.

Partes le-  
gitimi v-  
sus sacra-  
menti.

## X X X V I I I.

Sicut in tali vsu, corpus & sanguis Christi & eorum externo pane & vino, & cum eorum distributione atque acceptione, perpetuò coherent & coniunctim tum à Deo offeruntur, tum ab homine accipiuntur: ita quando harum conditionum vel vna violatur: unio sacramentalis iam ab homine dissoluitur: siquidem signo

Necessitas  
legitimi  
vsus.

mutato, vel in alium vsum conuerso, vel pacto non seruato, sponso-  
ris consensus in quolibet pacto amittitur.

X X X I X.

Refutatur  
corruptela  
regulae de  
legitimo  
vfu sacra-  
menti.

Quae fides  
requiratur  
ad legiti-  
mum v-  
sum.

Vnde perspicitur ad Cœnae legitimum vsum nequaquam solam  
ceremoniæ externæ obseruationem, sed etiam atque in primis qui-  
dem fidem promissioni quæ ceremoniæ annectitur, adhibitâ, requiri.

X L.

Fides autem ea quæ ad legitimum Cœnae vsum requiritur, non  
est persuasio: qua quis sibi persuadet, in cum sub pane, vel ad lo-  
cum panis, latere corpus quoddam inuisibile, insensibile, & ubique ta-  
rium: quod vnâ cum pane ex manu Ministri in os sumentis ingre-  
diatur. Talis enim persuasio, cum verbum Dei nullum habeat: quo  
nitatur: fides dici & esse nequit: siquidem fides soli Dei verbo inni-  
titur. Nâ verba (*Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur*) promissio  
gratiæ & totius Euangelij sunt: ideoque non oralem ac damnantem  
& iudicantem corporis manducationem, sed spiritualem & omni-  
bus saluificam *novam* corporis Christi pollicentur. Id quod clarius  
ex verbis poculo adiectis, patet: quæ nomine noui Testamenti, to-  
tum redemptionis beneficium, quod sola fide applicatur, continent  
atque offerunt.

X L I.

Quid infi-  
deles acci-  
pian in  
Cœna.

Sicut ergo fideles in vfu Cœnae non tantum panem & vinum, sed  
etiam corpus & sanguinem Christi, atque adeo totum Christum  
cum omnibus beneficiis, seu totum noui Testamenti beneficium  
verè accipiunt: ita infideles hypocritæ, in hoc sacramento, nihil nisi  
sacrum panem & vinum obtinent. 1. Quia corpus & sanguis Chri-  
sti in sacra Domini Cœna offeruntur & communicantur, vt pro no-  
bis tradita & fusa: quemadmodum verba Christi docent. Sic autem  
accepta corpus & sanguis Christi nō sunt absque suis beneficiis. Quæ  
beneficia cum impij hypocritæ non accipiant: certum est eos nec ip-  
sum corpus & sanguinem accipere. 2. Quia corpus & sanguis Chri-  
sti, in Cœna, vt cibus & potus spiritualis, ad vitam æternam com-  
municantur: quemadmodum analogia signi & signati in Cœna do-  
cet. Sed omnibus & solis fidelibus corpus & sanguis Christi sunt ci-  
bus & potus, quo ad vitam æternam aluntur Ergo omnes & soli fide-  
les hæc manducant. 3. Quia Christus in iis manet, atq; illi in Chri-  
sto manent, qui corpus Christi manducant, & sanguinem eius bi-  
bunt. Atqui in solis fidelibus manet; & soli illi in Christo manent.  
Ergo soli fideles corpus Christi manducant.

X L I I.

XIII

Hypocritæ igitur in Cœna, nequaquam ipsius corporis & sanguinis Christi indigna manducatione aliqua, (cùm nulla talis sit) sed contemptu spiritualium & significatorum donorum, & abusu symbolorum sacrorum, panis videlicet ac vini, indigna manducatione iudicium comedunt & bibunt. Neque enim Apostolus, vt multi alii persuadere conantur, vnquam dixit: Qui de corpore & sanguine Christi indignè ederit ac biberit; sed, *Qui panem hunc & poculum hoc indignè comederit & biberit reus erit corporis & sanguinis Domini.* Nec comedendo corpus Christi, sed non discernendo, iudicium edi affirmat. Non autem discernitur corpus Domini, cùm sacramentum eius corporis, quod ipsius corporis nomine vocatur, non legitimè vsurpatur. Item cùm ipsum corpus significatum repudiatur, nec fide accipitur. Ac proinde hypocritæ reatum contrahunt in cœna ex his causis. 1. Quia mandatum Dei de legitimo vsu sacramenti violant. 2. Quia promissionem ritui annexam, & res in ea promissas, infidelitate sua reiiciunt: & sanguinem foederis pedibus conculcant Heb. 10. 3. Quia symbola sacra quæ solis fidelibus instituta sunt, ad se, non sine sacrilegio, rapiunt. 4. Quia ipsum Deum & Christum abusu Symbolorum, contumelia afficiunt: siquidem irreuerens vsus symbolorum, ipsum authorem & archetypum lædit: atque ad iram prouocat: vt ex pœnis Vzæ, Nadab, Abihu, Bethsemitarum & aliorum perspicitur, 5. Quia signorum vsu societatem foederis cum Deo, mentiuntur; contra prohibitionem Dei, Psal. 50. 6. Quia proprio iudicio se condemnant: dum professione externa religionem probant: quam tamen intus & reuera non præstant.

Quomodo, & unde hypocrite reatum contrahant vsu cœnæ.

X L I I I.

Ex vnione sacramentali rerum & signorum, etiam in Cœna Domini existunt, eamque indicant locutiones sacramentales: quæ de hoc sacramento, & de rebus in eo sacramentaliter significatis, non minus quàm de reliquis passim in scriptura vsurpatæ, occurrunt; & sunt nihil aliud quàm gratiæ promissio, quæ ritui externo huius etiam sacramenti legitimè vsurpato adiicitur.

Locutiones sacramentales quid sint.

X L I V.

Sunt autem hîc quoque duplices: propriæ nimirum & figuratæ.

Quotuplices sint.

X L V.

Ac propriæ quidem sunt, cum panis & vinum, vel totus ritus Cœnæ, corporis & sanguinis, & *νομιματα* eorum sacramenta, symbola, mnemosyna, antitypa, & huiusmodi alia dicuntur. Vel quando legitimè cœna vtentes dicuntur *νοτιωται* carnis & sanguinis Christi effici.

Propriæ quæ sint.

D j.

## X L V I.

Figuratæ  
quæ sint.

Figuratæ autem sunt; cum vel nomen vel proprietas rei signo tribuitur: vt quando corpus Christi de pane; sanguis de vino; nouum Testamentum de poculo; vel de toto ritu, *novu* denique corporis & sanguinis, de pane & vino deque eorum manducatione & bibitione enunciatur. Vel vice versa, cum nomen & proprietas signi, tribuitur rei signatæ. Vt quando Christus & caro eius panis & cibus vitæ esse, & pro nobis frangi; item à nobis comedi; item in terram cadere, in corbe gestari, sacerdotis manu immolari, & similia pati dicitur.

## X L V I I.

Probatio  
quod sint  
figuratæ.

Has autem mutuas permuttationes nominum & proprietatum, esse figuratas locutiones, ex his constat. 1. Quia non congruunt ad aliquem modum regularium prædicationum. 2. Quia partim disparata de disparatis prædicantur; partim propria vnus speciei, alij speciei tribuuntur: quod sine figura fieri nequit. 3. Quia signum, imago, pignus, typus, antitypus & medium, quo corpus & sanguis Christi, ac *novu* eorum sacramentaliter significatur, & pro crescentis fidei modo magis magisque contingit, non est propriè ipsum corpus & ipse sanguis eorumque communicatio significata, repræsentata, obsignata & contingens. 4. Denique quia hæ locutiones non sunt inusitatæ locutiones, vt in generali doctrina thesi 51. & 52. demonstratum est.

## X L V I I I.

Causæ locutionum  
sacramentalium.

Causæ harum permutationum in omnibus sacramentis, ac proinde in Cœna quoque sunt tres illæ vnionis sacramentalis siue partes siue gradus: nempe representatio, obsignatio & applicatio, interiorum per externa; cum vsitatum sit in omni sermone, vt imago sui archetypi, mnemosynon item & pignus ipsius rei cuius est mnemosynon & pignus: & medium alicuius effectus, ipsius illius effectus nomen & proprietates sustineat: sicut in generali doctrina thesi 50. exemplis demonstrauius.

## X L I X.

Quæ figura sit in sacramentalibus locutionibus figuratis.

Cum verò causæ harum locutionum considerantur: facili negotio intelligitur: quâ figurâ figurentur. Nimirum respectu primæ causæ dicuntur per metaphoram: respectu secundæ per metonymiam: respectu tertie per metalepsim: ac denique si cœna quoque vt totum quiddam, ex signo & re signata constans, accipiatur: locutiones hæ per synecdochen dicuntur.

L,

Reducuntur igitur ad proprias: quando panis & vinum eorumq; manducatio & bibitio, in Cœna, dicitur sacramentum vel signum sacramentale, vel imago, pignus & applicatio aut medium applicationis esse corporis & sanguinis Christi; eorumque *κοινωνία*, in legitimo usu: vel quod eodem recidit: quando externa obiecta & actiones dicuntur sacramentaliter significare repræsentare, obsignare, & pro crescentis fidei modo applicare corpus & sanguinem Christi, & vtriusq; beneficia. Breuiter, quando sua signis & signatis nomina & proprietates transcribuntur. Vna enim atque eadem est sententia omnium istarum locutionum: quippe quibus omnibus gratiæ promissio ritui externo Cœnæ annectitur.

Reductio figuratarū ad proprias.

## L I.

Sed dictorum veritatem ac certitudinem, satis perspicit, qui vel sola institutionis verba diligentius pensitauerit: quæ quidem quatuor ista complectuntur, 1. Quis Cœnam instituerit. 2. Quando eam instituerit. 3. Quibus ritibus. 4. Quibus verbis.

Verborū institutio- nis breuis explicatio.

## L I I.

De primo. Cœnam instituit *Dominus noster Iesus Christus*: qui cum sit Dei filius & mediator, ius & facultatem habet sacramentum & instituendi & implendi. Quæ notatio facit ad fidem per hoc sacramentum in nobis confirmandam: & ad persuadendum nobis frequentem & religiosum usum Cœnæ.

Quis instituit.

## L I I I.

De secundo. Quo tempore Cœnam instituit? *In ea nocte qua traditus est*. Non vt nocturno aut vespertino tempore, ex necessitate à nobis etiam celebretur: Sed vt Paschati abolito succedat: ad rem signatam ipso institutionis tempore nos deducat: deque eius magnitudine nos admoneat.

Quo tempore.

## L I V.

De tertio. Quo ritu instituit? Nihil hîc audis de habitu vlllo Aaronico: de altaribus, de panibus numulariis: de similibus nugis: sed *Dominus accepit*, id est, de mensa sustulit; & hac sublatione sanctificare, seu ad sacrum usum adhibere cœpit, *panem*. Quid autem vulgari pane? Gratia igitur debentur Deo, qui res maximas, rebus vulgarissimis nobis inculcauit. Panem, inquam, cibarium accepit. Vnde igitur spuma panis in cœnam irrepit? Et panem quidem talem, qualis tum aderat propter festum. Quis igitur azymum panem virgeat?

Quo ritu, instituerit

*Gratias egit: εὐλογήσας & εὐχαρισήσας.* nempe redemptionis beneficium prædicans: vt nos etiam cœnam celebrantes similiter faciamus. Quid autem hoc ad magicam panis consecrationem? Quid amplius fecit? Panem acceptum *fregit*, id est, in partes comminuit. Cur igitur fractio panis in cœna hodie omittitur? Non enim illud *fregit*, hîc est idem quod distribuit: quia accusandi non dandi casum habet: & quia continuò additur *dedit*, quod est, distribuit, (vt thes. 3. rationes supra tactas, & alias omittam.) Quid etiam missa commune cum cœna habet: in qua nihil distribuitur? *dedit discipulis suis.* Vult igitur illos solos admitti qui Christum præceptorem suum profitentur. Vult solos accedere: qui doctrinæ ipsius verè credunt & obediunt.

## L V.

Quibus  
verbis.

De quarto. Verba quæ Christus in institutione hac *dixit* (nō cantillauit: ) tria continent. Mandatum de ritu Cœnæ: promissionem ritui annexam: & vtriusque simul factam repetitionem. Mandatum de ritu est: *Accipite comedite*: nempe vos discipuli. Hos enim alloquitur: non panem ipsum. Vnde igitur verborum Cœnæ cantillatio & murmuratio super panem? *Accipite* inquam, manu scilicet. Vnde igitur impositio sacramenti in os communicantis? *Comedite*, panem nempe: ore corporis. Nam panem de mensa tulerat: panem fregerat panem dederat: non corpus suum. Vnde igitur habetur mandatum de comedendo corpore ipso corporis ore? vnde sumitur? vnde accersitur? Certè in his verbis non continetur. Ergone, inquis, tantū panis & nihil aliud in Cœna distribuitur, accipitur, comeditur? Immo verò & corpus & sanguis Christi. Sed panis membris & sensibus corporis: ipsum autem corpus fide & Spiritu S. Sequuntur enim verba promissionis: & quidem gratiæ: *Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur: in remissionem peccatorum.* Quid quæso pronomen *Hoc* in verbis istis notat? quid aliud notarent, quàm panem? Nihil enim aliud quàm panem Christus de mensa tulerat, fregerat, dederat, &c. vt vidimus. Panem igitur indigitat illud *Hoc*: & solū quidem panem: Ergo *Hoc*. idem sonat atque *hic panis*. Qua audacia igitur aliqui pro *Hoc*, substituunt: *in, cum, sub hoc*, qua fronte pro *hic panis* substituunt *in, cum, sub hoc pane*? Estne hoc τὸ πρῶτον verborum Christi? sed quid exprimitur per vocem *Corporis*? nempe verum, naturale & visibile ac palpabile Christi corpus. Nam additur: *quod pro vobis traditur.* Traditum est autem pro nobis verum, naturale visibile ac palpabile Christi corpus. Vnde igitur aliqui corpus inuisibile maiestaticum & deificatum pollicentur in Cœna? Certè ex his verbis nō habent. Additur etiam *In remissionem peccatorum.* Ergo corpus Christi in Cœna promissum

promissum & acceptum, non est sine beneficiis. Vnde igitur habetur corpus quod comestum iudicet? quod damnet? Patet igitur literalem verborum Christi sensum esse: quod ipse panis Cœnæ sit corpus pro nobis traditum in remissionem peccatorum. Patet item, glossam verborum esse: quod corpus maiestaticum & iudicans sit *in, cum, sub, pane, cœnæ*: patet denique quod hæc glossa & singula verba, in propositione Christi euertit: & totam propositionem inuertit. Quid ergo? Cum literalis sensus sine tropo acceptus non possit aliter intelligi, ac si dicas: Essentia panis est essentia corporis Christi: Et verò verba Christi sic intellecta in primis toti scripturæ sacræ aduersentur: quæ testatur quod corpus Christi ex Maria virgine sit conceptum: quod *λόγος* vnitum, quod pro nobis traditum: panis autem ex triticea massa subigatur; in furno coquatur &c. Atq; etiam ipsi aduersarij facto ipso fateantur, interpretatione aliqua opus esse: cur non sacramentalem locutionem hinc quoque agnoscamus? cur in locutionis huius interpretatione, non potius alias sacramentales locutiones quàm cantharos vinarios: saccos auenarios: loculos pecuniariorum consulamus? Cur non ipsum Christum verba sua explicantem audiamus, cum ait; *Hoc facite in mei commemorationem*? Nam quid hinc aliud iubet, quàm panem manducare, ad sui ipsius & beneficiorum suorum fidelem commemorationem? Ergo ordinat hunc panem, in memoriale seu signum sacramentale, sui ipsius & suorum beneficiorum: ac docet, se in prioribus verbis nomen signi & signati permittasse. Eadem loquendi forma: etiam poculum vel vinum in poculo vocat nouum Testamentum: & genimen vitis suum sanguinem. Sic etiam reliqua de poculo prolata, ex iis, quæ de pane dicta sunt, cordato lectori æstimanda breuitatis causa relinquimus.

## L V I.

Cœnæ nostræ antitypa, hoc est, typi idem significantes, fuerunt Cœnæ col-  
in veteri Testamento Pascha, sacrificia typica, manna, atque aqua ex latio cum  
petra profluens. Cum quibus omnibus Cœna Domini conuenit; of- suis anti-  
ficio significandi spiritualia Dei erga Ecclesiam, beneficia: Et locu- typis.  
tionibus sacramentalibus; quæ similiter & eodem sensu vsurpantur  
& explicantur de omnibus. Specialiter verò cum Paschate atque sa-  
crificiis alijs legalibus, Cœna præterea conuenit; in tota illa commu-  
ni Sacramentorum perpetuorum natura, seu conditionibus iis, quas  
omnia tum veteris tum noui testamenti perpetua sacramenta com-  
munes habent. Peculiariter tamen & propriè, Cœna cum Paschate  
conuenit: quod vtrumque sacramentum, fœderis cum Ecclesia se-  
mel initi continuationem perpetuam significet: ac proinde vtrumq;

D iij.

sacramentum tantum Ecclesiae membrum iam initiatis communicari debuerit ac debeat: Et quod saepius vtrumque vsurpandum fuerit & sit.

## L V I I.

Differt autem Cœna ab omnibus illis antitypis: primò quidem iis rebus quibus communiter sacramenta veteris & noui testamenti discernuntur in doctrina generali thesi 54. Deinde peculiariter à manna & aqua ex petra scaturiente discernitur eo, quòd illa non ritus, nec perpetua veteris ecclesiae sacramenta fuerunt, sed euentus tantum miraculosi & temporarii sacramentalem significationem habentes. Denique à Paschate & sacrificiis legalibus differt cœna: quod illis abolitis, nostra cœna in illorum locum succedat: quòdque Paschatis & sacrificiorum mactatio & celebratio certis temporibus adstricta fuerit, tempus autem cœnae vsurpandae liberum relinquatur.

## L V I I I.

Collatio  
cœnae cum  
baptismo.

Cœna & baptismus quomodo conueniant & differant: in thesib. de baptismo thesi 66. & 67. notauimus,

## L I X.

Collatio  
cœnae pri-  
mae cum  
posteriori-  
bus.

Cœna prima quam Christus cum Apostolis suis celebravit, vna atque eadem fuit cum cœna, quam Ecclesia omnibus temporibus postea ad finem mundi celebrabit: nisi quòd Christus ipse in illa ministri officio functus, & Apostoli communicantium loco fuerint: hodie autem Christus per ministros alios Ecclesiae membrum symbola sacra porrigit. Item quod in prima cœna Christi caro vt tradenda, & sanguis eius vt fundendus; nunc autem eadem vt tradita & fusa accipiantur, comedantur & bibuntur.

## L X.

Ceremo-  
niae cœnae  
duplices.

Ceremoniae Cœnae, vt omnium sacramentorum; in vsu dupliciter considerari possunt. Quaedam generis rationem habent: quaedam verò sunt determinationes & limitationes illius generis.

## L X I.

Capita ce-  
remonia-  
rum cœnae  
diuinitus  
praecipita-  
rum.

Ac priores quidem sunt Dei mandata: quorum capita in cœnae institutione, quemadmodum ea à tribus Euangelistis & à Paulo recitatur, exprimuntur: vt nempe in cœtu fidelium, minister Ecclesiae, cum annunciatione mortis dominicae, discipulis Christi baptizatis, & se probare valentibus, panem communem ac cibarium, frangat, & poculum distribuat: atque illi ea accipiant, comedant & bibant, in Christi memoriam: de quibus quidem ceremoniis, quid sentiendum sit: in doctrina generali de Sacramentis thesi 60. & 62. notauimus.

## L X I I.



31  
L X I I.

Posteriores autem ceremoniæ sunt Ecclesiasticæ ordinationes, quæ libris ritualibus, quos vocant, singularum Ecclesiarum propriis, comprehendi solent. Hæ igitur, quas condiciones habere, & à quibus ordinari possint ac debeant, in Cœna quoque ut in aliis Sacramentis: id verò in generali doctrina thesi 61. breuiter monuimus.

Ceremoniæ humanæ adiphoræ circa cœnam.

L X I I I.

Præter duo ista genera bonarum ceremoniarum; apud Põtificios & alios reperiuntur & superioribus immiscentur & substituuntur, etiam multæ aliæ ceremoniæ: cuiusmodi, sunt, loco ministri sacrificus rufus, loco panis spuma panis in forma numulari: dilutum itè vinum cum opinione necessitatis, loco meri: cantillatio verborum institutionis loco solidæ explicationis eorum: linguæ Latinæ, pro vernacula, vsus: consecratio superstitiosa elementorum, certis & conceptis verbis & gesticulationibus facta: tintinabuli sonitus: consecratio panis, eleuatio, adoratio & oblatio: omissio fractionis: mutilatio sacramenti: impositio eius in os cõmunicantis: calix opinione necessitatis pro poculo: habitus administrantis cœnam Aaronicus; ara; cerei, imagines, ciborium. repositio & circumgestatio atq; adoratio panis in pompa Persica, &c. Quæ partim ut per se & suo genere: partim per accidens, superstitiosæ, malæ & idololatricæ aboleri debent.

Ceremoniæ humanæ malæ & impiæ circa Cœnam.

L X I V.

A quibus autem & quo ordine abolitio fieri debeat: in generali doctrina thesi 64. notauimus.

Soli Deo gloria.

Crem-  
nigam-  
re ab-  
pho-  
co am-

LXXXIII  
LXXXIV  
LXXXV

Crem-  
nigam-  
re ab-  
pho-  
co am-

LXXXVI  
LXXXVII  
LXXXVIII  
LXXXIX  
LXXXX  
LXXXXI  
LXXXXII  
LXXXXIII  
LXXXXIV  
LXXXXV  
LXXXXVI  
LXXXXVII  
LXXXXVIII  
LXXXXIX  
LXXXXX

Soli Deo gloria



Umg. VI 45

ULB Halle 3  
002 379 767




s. b.

WDA







DE

COENA DOMINI  
REPETITIO DOCTRINAE  
ORTHODOXÆ.

DE QVA, DEO VOLENTE,  
IN CELEBERRIMA HEIDELBERGENSI  
Academia.

Publicè disputabitur.

*Ad XII. Nouemb. hora & loco consuetis.*

PRÆSIDE

PETRO CALAMINO D.  
& Professore ordinario.

Respondente

DANIELE MARCELLIDE  
*Lublouensi Scepſio.*



HEIDELBERGÆ.

Typis CHRISTOPHORI LEONIS.

clō 15 xcvii.

I

36

